possent *Christoph. Forstneri* Ephemerides Politicæ, nec non incomparabilis Morhofii *Polyhistor:* ex quo Notitia etiam nostro argumento inserviens peti, & ad hanc Disciplinam consilia ac subsidia hauriri utiliter possunt, præsertim ex libr. 1. cap. 1. 2. & 15. Quemadmodum autem augumentis omnium fere divinarum & humanarum Scientiarum & artium Societates & Collegia, hoc imprimis Seculo per Germaniam, Galliam, Hispaniam, Angliam, Italiam, Sueciam quoque, & Daniam, contigerunt: ita ut par institutum excolendæ magis Doctrinæ Politicæ (cui multum studii adhuc deest, & in qua adeo multa investiganda restant,) & huic ipsi Disciplinæ, de qua hoc loco breviter actum, accederet, operæ pretium esset. In quo voto hac vice finimus.

LAUS DEO.

XXI.

DISSERTATIO

DE

POTESTATE PRECISTÆ PRECES IMPERATORIS PER CESSIONEM IN ALIUM TRANSFERENDI,

PRÆSIDE

TOBIA JAC. REINHARTH, JCTO,

COM. PALAT. CÆS. JUR. FACULT. ASSESSORE ET COD. P. P. CIVITAT. SYND. ET CONSULE

PRO LICENTIA Defensa ab

ABRAH. GOTTER GOTTSCHALCH,

Pirnens. Misnic.

ERFORDIÆ. 1730.

DE POTESTATE PRECISTÆ PRECES IMPERATORIS PRIMARIAS PER CESSIONEM IN ALIUM TRANSFERENDI.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA.

§. I.

UT ut neminem facile fore, nisi qui in Juris Publici prudentia plane hospes est, existimemus, quem lateat, non paucos, tam eruditione, quam doctrina & fâma celeberrimorum & egregiorum Virorum in Jura Precum Cæsaris primariarum satis sollicite jam tum inquisivisse, earumque ideam ex fontibus suis tam diserte hactenus delineasse, ut integram hancce doctrinam satis illustrem ferè exhausisse videantur; Cui enim incognitum, quid in hoc genere ex instituto præstiterint JO. Â CHOKIER, *Canonicus quondam & Vicarius generalis Leodiensis, nec non Abbas secularis Visetensis, primarias preces* FERDINANDI II., IMP. scholiis illustrando; nec non PETRUS MARCELLUS, RICCIUS, FELTZIUS, MAYERUS, L. B. DE LINCKER FRITSCHIUS, præcipue vero Excell. Dn. GRIEBNERUS, ut jam Dn. BOEHMERUM in *J. C. P. L. 3. t. 5.* omnesque fere Juris publici scriptores systematicos taceamus. Nihilo tamen secius nos de Themate inaugurali non adeo trito ac vulgari cogitantes, proposito nostro: *Jura precista circa cessionem precum concessarum* speciosius investigandi instituimus, cum non pauci fere publici Juris scriptores hocce argumentum satis quidem dignum vel sicco penitus pede præterierint, vel si quidem istud attigerint, duobus vix verbis illius mentionem injecerint, ac Cessionem quidam fieri posse, communiter affirmaverint, fundamenta vero hujus sententiæ neque satis adstruxerint, tantum abest, ut rationes, quæ negativæ favere videntur, removerint, illisque satisfecerint, vel etiam modum, quomodo cessiones ejusmodi valide fieri possint, cum effectu earundem ostenderint, & demonstraverint.

II. Quemadmodum vero ut succinctæ brevitati studeamus, temporis & instituti nostri ratione admonemur; Ita melioris ordinis & perspicuitatis causa, paucula quædam de genuina precum primariarum indole, quantum quidem ad enodationem propositi thematis sufficiet, antequam ipsum controversiæ statum aggredimur, præmittamus, non inutile fore credimus.

III. Primariarum itaque precum Imperialium Jus in eo consistit, ut S. Cæsarea Majestas Jure, quo pollet, proprio, per universum Imperium in capitulo vel monasterio mediato, vel immediato, una vice, unam personam, secundum naturam beneficii, normamque statutorum & observantiæ idoneam, ad beneficium Ecclesiasticum vacans vel vacaturum, tàm in mensibus papalibus, quàm capitularibus immediate vel mediate eo effectu præsentare possit, ut precista aliis omnibus sit præferendus, & â capitulo vel alio Collatore admittendus.

IV. Ex

IV. Ex quo autem *Jure proprio* CÆSARI jus precum primariarum competere asserimus, â sententiâ erroneâ JUSTI FONTANINI, qui sub recto nomine CONRADI OLIGENII latuit, nec non WILHELMI DURANDI, sic dicti SPECULATORIS, MARTINI URANII, PETRI GREGORII, SYRINGII, GAILII, aliorumque, quos adduxit PFEFFINGER ad *Vitriar. Tom. III. p. 89. lit. 8.* merito facimus divortium; Horum enim errores, quibus Imperialibus scilicet precibus, non aliter, nisi ex summi Pontificis indultu, seu privilegio locus relinqui voluit, sicut satis superque ex instituto jam tum explosi ab ADAMO CORTREJO *in Repræsent. Jur. Prim. Prec. Sacrat. Imperator. Rom. Germanicis, sine prævio Pontificum assensu competentis*; Item L. B. DELYNCKER *vindiciis Primar. Prec. Cæsar. Majestati proprio iure competentium*, nec non excell. GRIEBNERO *Dissert. de Primar. Prec. Imper.* OLIGENII *Dissertationi oppositâ.* Ita ne actum agamus, ad illos nos eo magis remittimus, quo certius est, neque Div. Impp. FERDINANDUM III. neque LEOPOLDUM, multo minus JOSEPHUM, & AUGUSTISSIMUM IMPERATOREM MODERNUM CAROL. VI. de Sedis Romanæ privilegio vel indultu in precum suarum concessionibus ullatenus amplius fuisse sollicitos, quin potius illud Jus, tanquam Majestaticum, proprio jure, semper exercuisse, postquam pace Westphalicâ *Art. V. §. 18. & 26.* istud Imperatoribus, conceptis verbis, confirmatum fuit, de quo non pauca, eaque notatu dignissima Precum Imperialium testantur diplomata, quæ non tantum adduxit supra laudatus PFEFFINGER ad *Vitriar. Tom. III. L. 3. l. 2. §. 9. lit. a. p. 90. seqq.* sed quæ extant quoque in ELECT. JUR. PUBL. *Tom. VII. p. 96.* & FABRI Staats-Cantz. *T. 50. p. 250. seqq.*

V. Per *universum* porro *Imperium* cum ejusmodi jus Precum Imperatoris competere diximus, per hoc ab illis precibus primariis, quas Electores, aliive Imperii Principes concedunt, distingui, manifestum est; hæ enim non per totum Imperium, sed intra fines terrarum vim tantum exerunt in regula; sic e. g. Eminentiss. & Serenissi. ELECTOREM MOGUNDINUM primariarum Precum jure in omnibus Archiepiscopatus sui Ecclesiis & beneficiis frui, testatur HORNIUS *Prud. Jur. P. c. 28. §. 4.* â VORBURG *Parat. Jur. can. class. 8. p. 789.* HERMES *J. P. c. 27. §. 39.* THULEMARIUS *Octovir. cap. X. §. 6.* Item de potent ELECTOR. SAX. quod Preces primarias ad Mersburgensem aliasve Ecclesias Electoratus dederint, ex fide Diplomatum constare adstruit Dn. GRIEBNER *in Op. Jur. P. Tom. I. Sect. 6. §. 2. lit. d. p. 181.* De Electore Brandenburgico, OBRECHTUS *ad J. P. W. Art. 5. §. 18. p. 148.* nec non LONDORP. *T. XI. Cont. act. publ. L. 12. C. 127. §. 73.* videri possunt. Quod vero in *quolibet capitulo Imperii immediato*, vel *mediato* Jure precum primariarum gaudere Imperatorem supra §. III. posuimus, id, quod ad protestantium capitula attinet, juxta *Art. V. §. 18. & 26. Pac. W.* ita intellectum volumus, ut in *immediatis* capitulis, in quibus Cæsar olim preces exercuit, illas indistincte, & citra

respectum ad anni decretorii possessionem, in *mediatis* vero, quatenus in termino critico *Kalend. Jan. 1624.* in possessione fuerit, habitâ insuper in utriusque religionis ratione, imposterum exercere valeat.

VI. Non vero solum *immediate*, *sed mediate* quoque jura precum primariarum exercere Cæsares, certum est. Posterius contingit; tâm per REGEM ROMANORUM, vivo scilicet, & ad gubernacula sedente Imperatore, ubi hoc jus ex Cæsaris indultu exercet Rex Romanus, cum ê contrario Cæsare mortuo, jure proprio idem jus eidem competat. FRITSCH *de Primar. Prec. Cap. 3 §. 3. & 4.* Deinde etiam per IMPERATRICEM. Nam & hanc vigore inveteratæ consuetudinis in capitulis sexus sequioris ex indultu Augustissimi Conjugis preces personis juxta normam statutorum & observantiæ, habitâ pariter religionis ratione, idoneis, concedere solere, & posse, extra dubium esse existimamus cum ULRIC. OBRECHTO *ad Inst. P. Art. V. §. 18. p. 148.* STRYCK *de Jur. Papal. Princ. Evang. c. 4. §. 5.* conferatur quoque Dn. BÖHMER *in usu Mod. Jur. Can. L. 3. t. 2. §. 105.* ubi precum REGINÆ BORUSSIÆ, ac COMITISSÆ LIPPIENSIS commemorat, de quarum altera videri potest FABRI **Staats-Cantzeley** *Tom. 13. p. 481.* Quod Imperatores quoque precum suarum Jus aliis statibus in certis Imperii provinciis suo nomine exercendum demandaverint & concesserint, ex Diplomate WENCESLAI, Imperatoris, quod ex FREHERO, & CORTREJO allegavit STRUVIUS, in *Jur. Publ. prud. cap. 10, §. 21.* vigore cujus RUPERTO, Electori Palatino anno 1326 indulsit, ut ipsius nomine per Diœcesin Spirensem, & Wormatiensem utatur precibus primariis, satis constat; Quid? quod idem Juris primariarum precum exercitium ab Imperatoribus comitibus Palatinis interdum concedi, supra laudatus celeberr. OBRECHTUS ad *Instr. Pac. Westph. Art. V. §. 18. p. 148.* affirmare non dubitavit. Quid autem de Vicariis Imperii intuitu juris primariarum precum sit statuendum, ad pereruditam Dissert. magnif. Dn. GRIEBNERI *de Primar. prec. Vicariorum Imperii* brevitatis causa nos remittimus, ubi tot argumentorum ponderibus eorum sententiæ, qui Vicariis Imperii jus primariarum precum iverunt denegatum, fuit occursum; contra vero pro adstruendo iisdem tali Jure tam acriter pugnatum, ut extra litem fere positum esse videri posset: Vicarios eodem modo intra Vicariatus fines, quo Cæsar in toto Imperio, tam in casu sedis per mortem, vacantis, in omnibus Ecclesiis, quàm in casu absentiæ, vel alterius forte intercedentis impedimenti, in eis, ubi absens; vel impeditus Imperator suo jure ipse adhuc non est usus, exercere queat. Vid. AUR. BULL. *cap. V. confer.* PFEFFING. *in Not. ad Vitriar. T. III. L. 3. t. 7. §. 3. l. a. p 609. seqq.* ubi *pag. 610.* Imperatoris Div. LEOPOLDI rescriptum ad AUGUSTUM, *Archi-Episc. Magd.* administratorem directum, sub dato Wien, *d. 13. Jul. 1672*, allegat, ex quo apparet, aulam Imperatoriam Vicariis Imperii tum tempo-

ris

ris primarias preces conferendi potestatem expressè denegasse, solisque Imperatoribus, eorumque successoribus, idem illud jus asseruisse.

VII. Semel vero, & una tantum vice in totâ vitâ Imperator hoc jus in uno Capitulo exercet, HENNIGES *ad Inst. P. A. V.* §. *26. lit. y. p. 408* TITIUS, *Spec. J. P. L. 5. cap. 3.* § *30.* ex quo consequitur; quod precibus effectu suo non destitutus, semel concessis, ad idem Capitulum, vel monasterium aut alium collatorem novæ preces pro altero impetiri non possint, quin potius tali casu concessio beneficii vacantis ad ordinarium collatorem pertineat. Notanter vero ejusmodi preces requisivimus, quæ effectu, suo non fuere destitutæ. Si enim priores effectu caruerint, e. g. Precistâ, antequam beneficium quoddam vacaverit, morienre, vel preces ipsas negligente aut repudiante, sive in talem statum incidente, in quo ad beneficium, in capitulo redditur inidoneus, v. g. intuitu Capituli catholici, si precista matrimonium contrahat, Imperatori per novas preces alium nominandi jus ac potestas omnino competit, recte ita docente CHOCKIER de *prim. prec. p. 24.* cum FRITSCHIO *de prim. prec cap. 5.* STRUVIO *synt. J. P. cap. 10.* §. *36.* Hoc quoque certissimum, in arbitrio Cæsaris, quo anno, aut quo mense, aut quo denique vacantiæ casu præsentationem facere velit, simpliciter esse positum; TITIUS, *spec. J. P. L. 5. c. 3.* §. *30.*

VIII. Precistam, hoc est, personam in precibus ad beneficium præsentatam & nominatam, quod attinet, illum ita comparatum esse oportet, ut ad beneficium vacans juxta statuta Capitularia vel observantiam sit idoneus, *Inst. P. W. Art. V.* §. *18. & 26.* alias preces suo destitui effectu, nec capitula ad istas acceptandas obstringi, est in propatulo. Hinc si beneficiati omnes in capitulo sint vel Principes, Comites, Barones, vel Nobiles, aut Doctores, seu Licentiati, precista tali charactere s. qualitate non corruscans ad beneficium vacans haud recipitur. HERMES *Fasc. J. P. cap. II.* §. *24.* Quin imo, si juxta capitularia statuta non nisi tales nobiles, qui veteris sunt prosapiæ, & multarum imaginum, ad beneficia & præbendas admitti queant, sed e. g. præcise requiratur, ut ab octo generationibus **acht Ahnen** nobilitatem ostendant, precistam tot partium enumerationibus non sufficientem surrogari non posse, recte concludit, HENNIGES *ad Inst. P. Art. V.* §. *18. lit. b. p. 245.* Neque ad beneficium Regulare precista, qui non est regularis, s. religiosus, CHOCKIER *in Scholis ad prim. Prec. Sect. 2.* §. *27.* multo vero minus in Capitulo catholica talis, qui Augustanæ Confessioni addictus, vel vice versa, admitti poterit.

IX. Precum primariarum objectum *beneficia Ecclesiastica vacantia vel vacatura* constituere, res ipsa loquitur. Unde error, quem non pauci, inter quos Besoldum, Wehnerum, Speidelium, Struvium, cum aliis deprehendimus, ex eo errant, quod preces primarias, & Panis-**Briefe**/ unum idemque esse, & per

has

has, illas indigitari, existimârent, eo apparet luculentius. Recte enim Mulzius in *Repras. Majest. Imper. p. 2. c. 33. n. 253. f. 943.* Panis-**Briefe/** & preces, objective ita distingui observavit, ut hæ sola beneficia Ecclesiastica, illæ vero alimentorum certam portionem pro objecto habeant, ac quædam provisiones sint, ab Imperatore personis laicis concessæ, ut alimenta ex cœnobio quodam ad dies vitæ habeant; Germ. **Vorschrifften um Läyen-Pfrunde/ und** Præsentations-**Schrifften eines Kaysers/ auff ein GOttes-Hauß um eine Pfrunde zu Küchen und Keller einem alten Diener.** Wehner *Obs. pr. voc. Panis*, **Briefe.**

X. Ex parte Precistæ, si precum Cæsarearum effectu destitui nolit, requiritur, ut illas intra mensem â die notitiæ, Præbendam esse vocantem, Collatori ordinario decenter exhibeat, ac ut juxta earundem tenorem procedatur, petat atque urgeat. Quo spatio menstruo elapso, nisi justarum ignorantiæ causarum allegatione & demonstratione contumacia purgari queat, preces ex parte precistæ expirant, qui suæ negligentiæ imputare debet, quod in præsentandis literis Cæsareis terminum præfixum non observaverit, qui propterea usu introductus, ac precistæ præscriptus, ne diutina nimis Ecclesiasticorum beneficiorum vacatio damnum inducat Ecclesiæ, Fritsch. de *Jur. Prec. Prim. cap. 5, qu. 3. cap. si clericus 11. de Præbnd. & dignit. in 6.* Neutiquam tamen hoc eatenus accipiendum, ac si precista præcise beneficium actu vacans, aut primum vacaturum acceptare debeat. Poterit enim optimum, quod sibi arridet, expectare, adeoque tam primum, quam secundum omittere, & tertium demum, si nullum antea jam tum acceptavit, optare, quo vero semel acceptato, variatio amplius eidem non permittitur. Hermes. *Fasc. J. P. cap. XI. qu. 56. arg. cap. Quia cunctis 1. de conc. preb. in 6.* ubi tamen cautelæ loco precistæ observandum, ut singulis vacantis beneficii vicibus, per Notarium, & testes collatori & capitulo voluntatem suam dilucide declaret, ac per protestationem interpositam jura precum concessarum conservet, notamque negligentiæ hoc ipso â se avertat; vid. Præjudic. JCtor. Salisburg, apud Hermes *supra cit. tr. cap. XI. qu. 54. n. 63.*

XI. Intuitu Capituli s. collatoris precum Cæsarearum legitime exhibitarum effectus in eo potissimum versatur, ut precistam, si cetera sint paria, nolens volens teneatur recipere, idque sive beneficium s. præbenda in mense papali, sive extraordinario, vel in Mense Capitulari s. ordinario vacare contigerit, sive etiam alius jam tum expectantiam habuerit, dummodo vacantia non ex causa permutationis bonâ fide inter beneficiatos utrinque factæ extiterit. Refragari primâ quidem fronte vi & naturæ vocis: *Precum* videtur, quod illum, ad quem directæ, ad parendum ita adstringere dicantur, ut etiam Impp. toties, quoties contradictionem hujus vel illius capituli minus fundatam metuant, precum tenori clausulam

sulam de exequendo inserant, insimul certis executoribus executionem in eventum contumaciæ demandare soleant; quale exemplum videri potest apud Anton. Fabri **Staats-Cantzeley** *Tom. 50. cap. 8. pag. 280. seqq.* ubi Augustissimus Imp. CAROLUS VI. precibus in favorem *Martini Hermanni Dionysii Beelen Anno 1715. d. 16. Mart.* concessus insimul Eminentissimum Electorem Mogunt. DN. LOTHARIUM FRANC. *glor. mem.* nec non Episcopum Paderbornens. & Monasteriensem FRANCISC. ARNOLDUM contra Capitulum mediatum Wiedenbrück, Episcopatus Osnabrugensis, denominavit executores; Verum enim vero rem acu tetigisse videtur Dn. Titius *specim. J. P. L. 5. C. 3. §. 42.* qui de precibus primariis ita judicat, scil. hocce jus, si veritatem rei spectemus, augustius omnino nomen mereri, sed abjectius ex errore & superstitione accepisse, quod creditum fuerit: Sacratissimis Imperatoribus non jure Majestatico & proprio, sed per modum indultus vel privilegii, & quasi precatiò illud competere, id quod tamen falsum esse supra jam assertum dedimus. Magis itaque vox: Mandati, qua in expeditionibus precum primariarum post confectas Tabb. Pacis Westph. usi sunt communiter Impp. rei ipsius veritati satisfacit, manifesto indicio, in arbitrio Collatorum ordinariorum, utrum præsentatum admittere velint, vel non, nullatenus esse positum, Augustissimosque Impp. ejusmodi preces sibimet non precario & alieno jure, sed propriô vindicare & majestatico, ita ut contra venientes viâ executiva ad parendum compellere possint.

XII. Ex dictis igitur haud difficile erit cognitu, in quo nunc primariarum precum indoles potissimum consistat, & effectus, ad quem merito quoque referri potest, quod ex parte Augustissimi concedentis in ordine ad precistam rem meræ gratiæ, s. beneficium gratiosum involvant, de quorum beneficiorum natura juxta *L. 3. ff. de Const. Princ.* satis constat, quod sint latissime interpretanda, magisque in favorem beneficiati, s. illius, cui gratia concessa, extendenda, quam restringenda Stryk. *Diss. de Expectant. Cap. V. n. 44.* Deinde quoque extra dubium positum esse putamus, precistæ ex precibus fortius omnino & firmius, magisque radicatum jus acquiri, quam â solo Patrono ad beneficium quoddam nominato, & præsentato, vel etiam simpliciter ad beneficium Ecclesiasticum expectivato. De nominatione enim & præsentatione Patroni satis constat, quod per illam nominato & præsentato Jus in ecclesiam nullatenus acquiratur, sed hoc ipsum ex sola admissione Episcopi dependeat, *cap. 5. X. de Jur. Patron. cap. 28. & 29. X. eod.* Böhmer *J. E. P. Lib. 3. 4. 38. §. 92. & 93.* ex quo Patrono laico jus variandi indultum, ita ut si vel maxime præsentatus ab Episcopo rejectus appellaverit, quod facere posse rejectum ex *c. 29. & f. X. de Jur. Patron.* constat, patronus pendente appellatione nihilominus alium præsentare possit, cum per præsentationem candidato nullum jus acquiratur prohibendi, ne alium præsentet patronus, *Cap. 5. &*

24. X. de jur. Patron. contra vero per secundam & tertiam præsentationem prima neque revocatur, nec revocari potest, quin potius juxta *cap. 24. X. de jur. Patron.* episcopo electio concedirur, ut, ex præsentatis diverso tempore, magis idoneum præferre possit, eique beneficium conferre. Ex quo confit, ut eo ipso, quo patronus laicus plures successive præsentat, non tam patronus, quam Episcopus ecclesiæ provideat. Conf. Schild. *Inst. j. C. L. l. t. 13. §. 11. in not.* At hæc omnia in præsentato & nominato per preces se habent secus. De his enim dicitur, quod, cœteris paribus, facultatem collatori ordinario in totum adimant, ipsamque præbendam affectam reddant, Stephan. Gratian. *T. III. Discept. for. Cap. 478.* Fritsch. *de prim. precib. Cap. V. n. 3.* Hahn. *de jur. rer. Concl. 82.* atque precista per solam Nominationem Imperatoris jus in ipsam præbendam acquirat Pfeffinger *ad Vitriar. Tom. III. L. 3. t. 2. §. 8. lit. e, in f. p. 88.*

XIII. Expectativas vero ad beneficium ecclesiasticum quod attinet, constat, quod vel *expresse*, & *directe*, vel *tacite* & *indirecte* concedi soleant. Prius contingit, quando aliqui spem futuræ successionis in officium ecclesiasticum & emolumenta ei annexa accipiunt, ut tamen interim Clericorum numero non inserantur, nec Canonici aut Pastores fiant, sed tum demum, ubi beneficium, s. officium vacare incipit. *Tacite* vero & *occulte s. indirecte* illis conceditur expectativa, qui statim quidem canonicorum numero inseruntur, vel ad officium Ecclesiasticum promoventur, sed *sine præbenda.* Tales, qui sunt, dicuntur quidem *Canonici*, sed *in herbis*, negarique non potest, hos longe certius jus & perfectius, simpliciter expectivatis, habere, quippe qui jam in ipsius officii possessione sunt collocati, chorum & stallum adepti, solennique ritu investiti, cum illi sola spe lactentur, quæ non raro deficere solet, & evanescere. *v.* Dn. Böhmer *j. Ecc. P. L. 3. t. 8.*

XIV. Sicut autem jus expectativam ecclesiasticam concedendi neque ordinariis collatoribus per *cap. 4. X. de donat.* neque legatis Pontificis *cap. in. f. de Offic. Legat. in 6.* multo minus Patrono competit, quippe qui adhuc minus juris, quam ordinarius collator habet, *c. 8. X. de jur. Patronat.* sed soli pontifici reservata legitur, atque apud protestantes principibus idem jus papale, ut liberrime expectativas indulgere queant, adscribitur Horn. *de expectat. Eccles. §. 18. in f.* Stryck. *de jur. pap. Principum evangel. cap. 3. §. 6.* Ita evanescere utplurimum solent ejusmodi expectativæ per mortem concedentis, si hæc ante vacans beneficium forsan contigerit; ita ut neque successores adstringantur, expectivatum ad beneficium postea admittere; Neque enim ejusmodi concessiones expectantiarum ad classem conventionum & pactorum, vim obligandi irrevocabilem secum ferentium de jure trahi poterunt, cum constet, decretum expectativum mere gratiosum esse, idemque operari, ac privilegium ad bene placitum concessum, quod morte concedentis expirat, *cap. 5. de rescript. in 6.* Leurenius *de foro benefic. Sect. III. qu. 632*

n. 1.

n.1. Sixtin. *de Regal. L.1.C.6.n.44.* ex quo recte Schraderus *de Feud.p.3.c.2.n.27.* infert, quod gratia sub principe prædecessore non consummata, qui eam concessit, morte concedentis expiret, & devoluto principatu ad proximum agnatum in ejusdem libera voluntate consistat; quod quo antecessor non possit disponere in tempus, quo ipse nullam in eo potestatem habiturus est, asserit Myler. ab Ehrenbach *in Hyparchol. c.3.n.133.* præsertim cum ipso jure Canonico ejusmodi gratiosæ expectantiæ ecclesiasticæ, utpote in se valde odiosæ *cap. 2. X. de præb. concess.* à successore pro revocabilibus habeantur, *cap. 8. de Concess. præb. in 6.* Quid? quod ne ipsum quidem concedentem, ut illas servet, ex capite *justitiæ* teneri, rectius, ac Stryckium, qui contrarium *in Dissert. de Concurs. expectat. general. & special. n. 30.* & *Diss. de Jur. Pap. princ. Evangel. C.3.* §.8. asseruit, docuisse Dn. Böhmerum *J.E. Prot. L.3. Tit.8.* §. *14. & 15.* credimus; Talis modi enim concessio gratiæ naturam *precarii* habet, quod semper tam *expresse*, quam *tacite* pro lubitu concedentis revocari & mutari potest; quæ tacita revocatio expectantiarum ecclesiasticarum tum quoque contingit, quando Pontifex, (vel apud Protestantes Princeps) duobus vel tribus decreto expectativo ad idem beneficium successive prospicit, & in ultimo clausulam: *anteferri*, annectis, vel priori expectativam *generalem*, posteriori vero *specialem* concedit; Utroque enim casu posteriorem priori præferendum esse, idque ex Concedentis voluntate vel expressa vel tacita ab ipso Pontifice decisum legitur *in cap. 7. de concess. præbend. & eccles. non vacanti in 6. & cap. 38. de præbend. in 6.* Neque habet, de quo ex capite in justitiæ prior expectivatus conqueratur, cum erronea sit supra allegata Stryckii hypothesis, justoque fundamento destituta, quasi scil. primo expectivato statim, semperque jus ex decreto expectativo *firmam*, tamque *stabile* quæsitum sit, ut plane revocari nequeat; contrarium enim, quodque ejusmodi expectivatus regulariter *jus imperfectum* saltem consequatur, ex supra adductis rationibus manifeste colligi poterit.

XV. Ex quo nunc satis apparere existimamus, *Præcistam* Cæsareum cum mero expectivario præbendæ ecclesiasticæ comparari non posse; Hunc enim infirmum omnino habere jus, quod non per revocationem solum concedentis, vel ejus successoris expressam vel tacitam, sed quoque per mortem ejus statim expirat atque corruit, in præcedentibus diximus, & ut speramus, jam tum probavimus; At vero ut idem de Precista asserere non liceat, res ipsa loquitur & similiter eis; quæ §. XII. in f. ex Gratiano, Fritschio, Hahnio & Pfeffingero adduximus, scil. quod ex sola præsentatione Imperatoris & nominatione ipsa Præbenda affecta reddatur, precistæque jus non ad præbendam, sed in præbenda vacante acquiratur, evincatur. Quin imo omnes fere Juris publici scriptores in eo convenire deprehendimus, quod mors Cæsaris ante casum vacantiæ contingens, Precistæ nullatenus noceat, tantumque abesse, ut successor ejusdem vel Vicarii Imperii

preces Imperatoris demortui negligant, vel revocent, quin potius ut ad effectum quovis modo deducantur, curare debeant & soleant, Struv. *Synt. J. P. cap. X. §. 35.* id quod exemplo moderni invictissimi Imp. CAROLI VI. in Diplomate Precum in favorem *Martini Herm. Dionys. Beelen. anno 1715. d. 16. Mart.* concessarum satis confirmatur, de quo vid. Ant. Fabr. **Staats-Cantzeley** / *Tom. 50. p. 278.*

XVI. Quæ cum ita sint, opportunum nunc erit, ut ad thema nostrum inaugurale paullò accedamus propius, ac quid de potestate Precistæ preces Imperatoris, cum jure inde quæsito, per Cessionem in alium transferendi, sentiamus, mentem quoque nostram brevissimis exponamus. Ubi non immerito præmonemus: Per Cessionem heic â nobis nullatenus simplicem nudamque Juris repudiationem vel renuntiationem, quo sensu forsan Vox: *Cessionis* tam Jure *Canon. in t. t. X. de Renuntiat.* quam Jure Civili in variis textibus, e. g. *L. 17. ff. de Recept. arb. & t. t. ff. de Cession. bonor. L. 1. C. de pact. pign. L. 17. §. 1. ff. de Nonal. action.* occurrit; sed potius plenariam & legitimam juris nostri abdicationem ejusdemque in alium translationem subintelligi, qualiter forsan Cessionem JCti Romani e. g. in *L. 23. ff. de literal caus. L. 15. ff. Commun. Prad. L. 76. ff. de solut.* pluribusve aliis acceptam voluerunt. Atque hâc ratione Cessio precum primariarum in rei veritate nihil aliud est, quam impetratæ ab Imperatore ad beneficium vel præbendam præsentationis vel nominationis â persona nominatâ in alium facta alienatio. Eo ipsô enim, quo juri meo renuncio, illudque in alterum transfero, eo ipso illud alieno; quæ jurium alienatio etiam Resignatio â non nonnullis; imô Parisio *de Resignat. benefic. L. 1. qu. 1. n. 1.* ipsa Renuntiatio nihil aliud, quam cessio juris sibi circa præbendam competentis, dicitur.

XVII. Cum itaque cessionis leges â legibus alienationis pendeant, ita ut Dd. communiter hanc regulam efforment: *Quicunque habet jus alienandi, ille habet quoque jus cedendi, & quodcunque alienari potest, cedi quoque poterit & contra* Lentz. *de act. Cession. Cap. 19. M. 1. n. 1. seqq.* Card. Dusch. *Concl. pract. 203. n. 10. lit. C.* Brunnem. *de Cession. act. c. 2. n. 1.* hinc sponte fluit: Dispositionem *L. 21. C. Mandat. quod quilibet liber rerum suorum sit moderator & arbiter*, vim suam etiam ad Cessionem jurium extendere, ita quidem, ut toties illa de genere licitorum habenda, quoties illorum exercitium neque pactis neque Conventione circumscriptum legimus. Casp. Anth. *Thesaur. L. 3. qu. 28. n. 2.* Paul. Christinæus *Vol. 2. dec. 110. n. 3.* Petr. Franc. De Tonduti *qu. civ. C. 32. n. 1.* Stryck. *Dissert. de Juribus & action. non cessibilibus Cap. 1. §. 2. p. 4.* Quæ principia, si ad nostrum controversiæ statum applicentur, tota res eo redit, ut videamus, an & quatenus precistæ legis quædam vel consuetudinis directa vel indirecta dispositio obstet, quo minus preces ab Imp. impetratus per Cessionem in alium transferre queat?

XVIII. Utut autem plurimi ferè Juris publici scriptores simpliciter & citra ullam

ullam restrictionem Precistæ Cessionem precum suarum indulgeant, inter quos præter cæteros deprehendimus Sigism. â Vorburg. *Rud. Jur. Can. ad f. p. 171.* Stryk. *Dissert. de Expectant. Cap. 5. n. 42. usque 45. p. 72.* Dn. Böhmer. *J. Eccl. Prot. L. 3. T. 8. §. 20. in f. p. 593.* Fritsch. *de Prec. Imper. prim. Jure Qu. 4. n. 18.* Struv. *in Synt. J. P. Cap. 10. §. 35. in f.* & in ejusd. *Jur. P. Prud. Cap. 10. §. 19. in f.* cum ibidem allegato Cortrejo; Tantum abest hancce sententiam adeo videri liquidam, ut potius gravissimis dubiis adhuc illam deprehendamus obnoxiam.

XIX. Quodsi enim (I) Cessio Precum precistæ conceditur, inverti omnino videtur & destrui generalis illa & in jure satis fundata Doctorum regula: *quod juro personalia non sint cessibilia*, quam tradunt Alphons. De Olea *de Cession. jur. Tit. 3. qu. 1. n. 3.* Joh. â Sande *de Act. Cess. cap. 5. n. 34.* Brunnem. *de Gession. act. Cap. 4. n. 39. 82.* Stryk. *de Jur. & action. non cessibilib. Cap. 1. §. 6.* Jam vero preces Imperatorias in iisque ad beneficium ecclesiasticum factam nominationem s. provisionem esse aliquid personalissimi, negari non potest, cum non nisi ob singularia merita certæ personæ concedi soleant. Ubi autem personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ beneficium deficit, inquit JCtus in *L. 68. ff. de R. J. & L. 196. ff. eod.* (II.) Preces morte precistæ expirare, nec earundem effectum ad heredes transmitti, manifestum est? Nunc autem cessioni iterum obstat altera Regula: *Quodcunque non est ad heredes transmissibile, illud quoque non est cessibile.* Petr. Peck. *de testam. Conjug. reciproc. L. 1. Cap. 14. n. 3.* Cardinal. Dusch. *pract. Concl. lit. C. Concl. 204. n. 30.* Lenz. *de Act. Cess. cop. 19. M. 2. n. 2.* Tiraquell *de Retractu §. 26. Gl. 1. n. 79.* Stryk, *cit. tr. de Jur. & act. non cessibilib. Cap. 1. §. 7. p. 9.* (III.) In aprico positum est, preces pro objecto habere beneficium ecclesiasticum, de quô constat, quod non sit in commercio privatorum, adeoque in alium transferri non ita potest ac aliæ res in corporales vel jura potuerunt.

XX. Porro (IV.) Cessiones precum in alium nunquam ferè sine interventu pretii vel respectu alicujus insignis commodi fieri solent; ac verò tale quid secundum Jus Canonicum Simoniacam labem involvit, atque Cessionem omnino vitiare videtur, cum nundinationes beneficiorum ecclesiasticorum semper turpes censendæ, sive quæ directè committuntur, sive indirecte, ex quô quô que fundamento Espenius *P. 2. de Jur. eccles. l. 27. C. 1. §. 18.* resignationes in favorem tertii pro simoniacis simpliciter judicat. (V.) Per Cessionem precum primariarum obtruderetur Capitulo Beneficiatus, & sic extenderetur beneficium contra voluntatem Invictissimi Imperatoris concedentis, de persona ad personam plane incognitam, meritisque haud conspicuam. (VI.) Videri preces primarias valde odiosas, & ita comparatas, ut semper in præjudicium Capituli & ordinarii Collatoris tendant; admissa autem Cessione, extenderentur odiosa contra Regulam, juxta quam potius restringi debuissent,

XXI. Verum enim verò his non obstantibus, affirmativa firmioribus omnino fundamentis nobis fulcita videtur, quare eidem, sub certis tamen limitibus, merito subscribimus, atque sic Cessionem primariarum Precum omnino validam esse, si non invito Imperatore, in personam æque idoneam atque secundum statuta & observantiam Capituli qualificatam fiat, asserimus. Idem nobiscum sentire videtur Pfeffinger *ad Vitriar. Tom. III. Tit. 2. §. 10. lit. h. p. 96. inf.* Rationes accipe sequentes. (1) Quia pro Precista cedente ob defectum Legis publicæ prohibitivæ vel consuedutinis regula generalis supra adducta militat, quod *Cessio precum si de genere licitorum*, donec doceatur contrarium. (2) Precistam cedentem & Cessionarium semper indoles & natura precum defendit, quæ nil nisi beneficium gratiosum, maximumque favorem in se continent, adeoque *juxta L. 3. ff. de Const. Princ.* latissime ita interpretandæ, ut præsumatur Imperator semper voluisse, concessam gratiam non solum prodesse debere precistæ in propria persona, sed etiam omni alio expeditiori & favorabiliori modo, non prohibito, qualis est Cessio, argumento eorum, quæ docet Schilter *Ex ad ff. 30. §. 69.* (3) Corroborat Jus cedendi praxis publica & observantia, de quâ testantur exempla, factarum sæpe Cessionum precum primariarum, in Imperio non solum Cæsarearum, sed etiam aliarum â Statibus Imperii concessarum, de quarum prioribus videatur Anton. Fabri **Staats-Cantzel.** *T. 50. p. 283. seqq.* Simileque contigisse *A. 1707. d. 2. Jul.* ubi expresse Imp. JOSEPHUS *L. B. de Huldenberg* factam precum Cessionem approbavit, earundemque executionem intuitu Cessionarii *Dn. de Reck*, Capitularibus Goslariensibus SS. Simonis & Judæ per Rescriptum pro Decanatu tum temporis vacante, seriò demandavit. Alia exempla suppeditat Pfeffinger *sæpe allegat. T. III. ad Vitriar. p. 97.* & Voburg. *in Rud. Jur. Can. ad f. p. 718.* quæ de validitate Cessionum â precistis factarum satis testantur, atque sufficere docent, si Collator precum Cessioni non contradixerit, atque sic vel tacite etiam & ex postfacto consenserit. vid. *tamen* L. B. De Lyncker *Vol. 1. Resp. 34. n. 11. & 12.* Dn. Böhmer. *J. E. P. L. 1. t. 9. §. 16.*

XXII. Ex prædictis rationibus illa, quæ supra §. *XIX. & XX.* in contrarium adducta, per se corruunt. Nam (1) perdit Regula: *de juribus personalibus cessionem respuentibus*, toties suum officium, quoties de voluntate principis concedentis laxiore vel expresse vel tacitè constat, id quod ex indole beneficiorum per doctrinalem interpretationem collegisse sufficit; *L. 3. ff. de Const. Princ.* Si vero adeò obscura est voluntas, atque circumstantiæ perplexæ, ad authenticam recurrere, optimum Consilium. *L. 191. ff. de R. J.* (2) Regulæ: quod *Jura ad heredes non transmissibilia, non sint cessibilia*, ex iisdem fundamentis occurritur, imò in se oppido falsa est; Lauterb. *in Comp. L. 18. t. 4. p. 328.* (3) Resignationes ipsorum beneficiorum ecclesiasticorum in favorem tertii & Canonicatuum valide cum Consensu

sensu superioris fieri posse, est notorium, imò illas non esse Simoniacas testatu Leurenius *in for. benef. p. 3. qu. 727. n. 2.* Cur ergo cessiones precum sint tanquam ilucitæ & simoniacæ reprobandæ, causa deficit. Cætera, quæ pro diluendis aliis objectionibus reliqua sunt, ad conflictum crastinum disputatorium reservamus, quandoquidem propter angustiam temporis filum jam jam inviti abrumpere cogimur.

TANTUM.

XXII.
DISSERTATIO
DE
REGALIBUS
tum in genere, tum verò in specie
DE
REGALIBUS SACRI IMPERII ROMANO-GERMANICI,
Pro Loco defensa à
JO. THEODOR SCHEFFER, J. U. D. SERENISsimi Würtemb. Ducis Consiliario, Supremi Dicasterii Assessore & Professore Publico
RESPONDENTE
MATTHIA BALTHASAR, Besighemensi, d Dicasterii Würtemb. Advocato.
TUBINGÆ, 1719.

PRÆFATIO.
L. B. S.

QUam Tibi L. B. præsentem sistimus de Regalibus dissertationem, illam in arduo non minus ac difficili, quàm nobili, amplo, perque omnes Juris & Publici & Feudalis particulas diffuso versari argumento, nemo est, qui possit ignorare, si vel à limine saltem Jura salutavit publica. Ideo superfluum foret, de præstantia atque utilitate commentarsejus, quod unusquisque, ad notitiam Rerumpublicarum. earumque Status, Forma &c. acquirendam, per se videt necessarium. Intellexere isthoc, qui tam operose, tantoque cum eruditionis apparatu materiam hanc sibi excolendam sumsere, nunc Aularum Illustrissimarum